Pindar



NATALICIA
REGIS AVGVSTISSIMI
G V I L E L M I
IMPERATORIS GERMANIAE

AB

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

DIE XXII MENSIS MARTII ANNI MDCCCLXXXIII

IN AVLA MAGNA HORA XII PVBLICE CONCELEBRANDA

RECTORIS SENATVSQVE AVCTORITATE

INDICIT

EDVARDVS LVEBBERT

PRAEMISSA EST DIATRIBA

IN PINDARI LOCVM DE AEGIDIS ET SACRIS CARNEIS

BONNAE

EX CAROLI GEORGI TYPOGRAPHEO ACADEMICO

1. Rerum divinarum et humanarum thesauri in antiquis familiis Graecis propagati.

Quod veteres sacerdotes Aegyptii fecisse dicuntur (Herod. 2, 143), ut peregrinos homines, Graecos potissumum, qui ad se deverterentur, sedulo diligenterque percontarentur, qui eorum maiores inde a primo gentis auctore, quae omnis eorum prosapia esset, id et illi recte prudenterque fecerunt et nos quoque, si de Graecorum hominum rebus recte iudicare velimus, facere oportet. Nam magna apud antiquos populos vis est familiae et multo apud illos magis, quam unquam postea, singuli in familiae gremio educabantur et nutriebantur. Per longam saepe saeculorum seriem continuam quandam rerum divinarum et humanarum hereditatem summa fide et constantia ad posteros propagatam videmus; pulcherrimorum thesaurorum, qui dei plerumque alicuius dote mortalibus dilectis obtigerant, custodes familiae sunt, magnaque vetustissimae Graecorum historiae pars in familiarum fatis, rebus gestis, migrationibus enarrandis posita est.

Quis non admiratione et laeta quadam animi conspiratione tangatur, cum in inscriptione, quales multae ad nos pervenerunt, legat (Corp. Inscr. Gr. n. 1446), mulierem quandam Spartanam primi vel alterius p. Chr. n. saeculi eodem sacerdotio, in familia sua hereditario, fideliter functam esse (ἱερέαν κατὰ γένος Καρνείου Οἰκέτα), quo iam multis saeculis ante, Heraclidarum migrationis tempore, atavos quidam et vetustissimus familiae auctor functus erat, Paus. 3, 13, 3 ὁ δὲ Κάρνειος, ὃν Οἰκέταν ὀνομάζουσι, τιμὰς εἶχεν ἐν Σπάρτῃ καὶ πρὶν Ἡρακλείδας κατελθεῖν, ἵδρυτο δὲ ἐν οἰκίᾳ Κρίου τοῦ Θεοκλέους, ἀνδρὸς μάντεως. Neque in his quaestionibus quidquam unquam parvom et leve putandum. Tenuissima saepe vestigia, si in illa familiarum secreta paullo nos curiosius et amantius insinuemus, ad pulcherrimum finem nos perducunt.

Inter nobiles illas Graecae antiquitatis gentes, quae cum propter sacrorum domesticorum sanctitatem, tum propter rerum gestarum famam insignes sunt, conspicuum locum obtinet gens Aegidarum, cuius summus flos summaque gloria in ea tempora incidit, quae diluculi instar inter fabulosae aetatis tenebras et historiae certiorem iam lucem interposita sunt. Huic genti una maxume res apud posteros praecipuum quendam splendorem attulit: clarissima Apollinis Carnei sacra in ea de manu in manum propagata et domestica. Sed ut fit in antiquarum rerum pervestigatione, ne scilicet nimis multa sine sudore nobis obtingant: cum huius rei certissimae et notissimae luce magna statim obscuritas coniuncta est. Nam si quaeras, quomodo in Aegidarum gentem illa sacra pervenerint, quae eorum

sit in huius gentis tutela origo et aetas, omnia statim incerta et dubia. Ac refert tamen magnopere haec scire; quid enim gravius esse potest cum ad Aegidarum primordia, tum ad Apollinis Carnei naturam recte diiudicandam, quam haec de eorum sacrorum originibus quaestio?

2. Loci de Aegidis Pindarici difficultates. Callimachi opinio: Sacra Carnea Thebana nulla omnino fuisse.

Unus vero fons, unde aliquod in hac quaestione auxilium peti possit, Pindari locus est clarissimus, quo poeta harum rerum maxume gnarus de Aegidarum, Carnei Apollinis sacra propagantium, migrationibus narrat, exponens ille quemadmodum proavi illi sui Sparta Theram, Thera Cyrenas pervenerint, quam quidem coloniam, felicissimis auspiciis conditam, Thebani Aegidae, ut acceptissimam sibi, in sacrorum Carneorum annuis sollemnibus caritate et veneratione prosequantur. Hunc locum praeeuntibus G. Hermanno, Opusc. VIII, 98, cuius emendationem consummavit Christius γαρύειν || τἀπὸ lectione restituta, et Boeckhio ita scribendum censeo, Pind. Pyth. V, 72: τὸ δ' ἐμόν, γαρύειν || τἀπὸ Σπάρτας ἐπήρατον κλέος, || ὅθεν γεγενναμένοι || ἵκοντο Θήρανδε φῶτες Αἰγεΐδαι, || ἐμοὶ πατέρες, οὐ θεῶν ἄτερ· ἀλλὰ μοῖρά τις ἄγεν || πολύθυτον ἔρανον· || ἔνθεν ἀναδεξάμενοι, || Ἄπολλον, τεᾷ, || Καρνήι', ἐν δαιτὶ σεβίζομεν || Κυράνας ἀγακτιμέναν πόλιν. In his postrema potissimum nunc explicatione egent: *unde adepti tuo, Apollo Carnee, in epulo sollemni veneramur Cyrenarum urbem admirabiliter extructam.* Haec cum dicit Pindarus, qui paullo supra Aegidas patres suos (Αἰγεΐδαι, ἐμοὶ πατέρες) vocaverat, ex duabus rebus alterum haud dubie utrum intellectum voluit: aut Carneorum sacra vel Thera vel Sparta Thebas delata statuit, aut antiquitus ea iam Thebis fuisse in Aegidarum gentis tutela ante Aegidarum in Lacedaemonem discessum. Earum sententiarum utraque difficultatibus quibusdam impedita est. Priorem defendit Dissenius ad v. 71 (p. 265 edit. anni 1830), qui e Thera insula partem Aegidarum Thebas, „priscam universae gentis sedem" redisse censet. Hanc explicationem licet eam minime tam futtilem, quam censuit Hermannus l. s., iudicem, tamen, quoniam eius migrationis ne tenuissimum quidem vestigium neque in fabulis neque in rerum scriptorum memoria extat, minus verisimilem dixerim.

Sed altera quoque sententia, qua Pindarus hoc sensisse dicitur: Carnea inde ab antiquissimis temporibus Thebana fuisse et in Aegidarum ibi gente, cuius altera pars Thebis remanserit, altera in Lacedaemonem emigrarit, ad ipsius poetae tempora propagata esse, haec quoque sententia facilior est ad commendandum, quam ad demonstrandum. Nam Carnea uti sunt apud Dorios omnes eorumque colonos celebratissima, ita Thebis nulli scriptori memorata et praeter hunc unum Pindari locum ignota et inaudita. Atque hoc altum de Carneis Thebanis silentium in caussa fuisse videtur, ut Callimachus, talium rerum gravissimus auctor et testis, loco in hymnis suis clarissimo Aegidas ipsos Thebis oriundos praedicaret; nam Theram heroem, Autesionis filium sexto in stemmate gradu ab Oedipo descendere; Carneorum contra origines et primordia non Thebis, sed Sparta tanquam ex vetustissima eorum patria repeteret. Atqui Callimachum cum haec scriberet,

valde probabile est loci, de quo agimus, Pindarici probe memorem fuisse; ait enim ille Hymn. in Apoll. 74 ἐκ μέν σε Σπάρτης ἕκτον γένος Οἰδιπόδαο || ἤγαγε Θηραίην ἐς ἀπόκτισιν ἐκ δέ σε Θήρης || οὖλος Ἀριστοτέλης Ἀσβυστίδι πάρθετο γαίῃ. Ipsi, inquit, Aegidae Thebis prognati sunt; Carnea Spartae demum ut domestica sibi sacra receperunt; quod clarius etiam his versibus exprimitur, ibid. v. 72 Σπάρτη τοι Καρνεῖε τόδε πρώτιστον ἔδεθλον, || δεύτερον αὖ Θήρη, τρίτατόν γε μὲν ἄστυ Κυρήνης.

3. Eruditi, qui Carneum Thebis cultum esse negant, ad quaenam artificia in Pindaro explicando confugiant, et cur nihilo minus in sententia persistant.

Quaeri potest, quo tandem modo Callimachus Pindari verba explicanda censuerit, si Carnea Thebarum urbi negavit et e Sparta patria repetiit. De hac re scholiasta nos edocet, qui Callimachi, puto, opinionem expressit, cum primam personam in illo Pindari loco in vocabulis ἐμόν, ἐμοὶ πατέρες, σεβίζομεν ad chorum Cyrenaeum refert, sch. Pind. Pyth. 5, 96 p. 383 τὸ δ' ἐμὸν γαρύεντ'] ὁ λόγος ἀπὸ τοῦ χοροῦ τῶν Λιβύων. Homo non nimis emunctae naris quod statim subicit ἢ ἀπὸ τοῦ ποιητοῦ, intellegitur, eum ex fontibus diversis explicationem suam conglutinasse. Videmus igitur antiquos iam homines eruditos fuisse, qui Carnea in Thebis urbe domestica et patria fuisse negarent. Eis ut ita statuerent in caussa, opinor, fuit alia quaedam, quae fide dignior ipsis videretur, de Carneorum origine narratio, qua haec sacra iussu Apollinis instituta tradebantur ad Carni vatis necem expiandam, quem quo tempore Naupacti Dorienses transitum in Peloponnesum moliebantur, unus ex Heraclidis, Hippotas, Phylantis filius, occiderat; Paus. 3, 13, 4 τοῦτον γὰρ τὸν Κάρνον ἀποκτείναντος Ἱππότου τοῦ Φύλαντος ἐνέπεσεν ἐς τὸ στρατόπεδον . . . μήνιμα Ἀπόλλωνος, καὶ . . . ἀπὸ τούτου τὸν Ἀκαρνᾶνα μάντιν καθέστηκεν ἱλάσκεσθαι. Nostra quoque aetate fuerunt, qui eandem, atque Callimachus, in Pindaro explicando rationem inirent. O. Muellerus cum loco aliquo libri praestantissimi Orchomenos[2], p. 326 adnotasset, esse quae Aegidas iam Thebis Apollinem Carneum coluisse indicent, impugnatus est ab Gustavo Gilbert, qui in libro ingenioso et compluribus pulchre inventis insigni: Studien zur Altspart. Gesch. (Gott. 1872) hoc professus est p. 66 (cf. p. 68): sibi Carnea Thebana, Pindari certe temporibus, nulla fuisse videri. Haec si reputemus, fieri non poterit, quin Pindari ille de Aegidis locus maxume iam impeditus et obscurus videatur. Nam si neque aliunde Carneorum sacra Thebas accita sunt, neque Thebis domestica et patria fuerunt, quo tandem modo illud explicandum, quod dicit poeta v. 79 Ἄπολλον, τεᾷ, || Καρνήι', ἐν δαιτὶ σεβίζομεν || Κυράνας ἀγακτιμέναν πόλιν? In rebus Thebanis ubique, opinor, paradoxa et Sphingis aenigmata obvia. In tantis igitur angustiis novae cuiusdam et simul veteris viae ineundae consilium capiendum est, et circumspiciendum, num quae O. Muellerus olim de Carneorum patria Thebis iecit magis et divinavit, quam argumentis probavit, nullam omnino fidem mereantur, an aliquam veri particulam contineant. Quaeritur igitur, quae et qualia sint illa Apollinis Carnei apud Thebanos et in Boeotia culti vestigia.

4. Fabula de Europa a Iove rapta in Boeotia quoque antiquitus tradita erat. Antimachi ea de re narratio.

Res paullo altius repetenda. Initium capiendum ab Europae cum Iove conubio. Nam in vetustissimis fabulis non una Creta ut Iovis et Europae amorum hospitium celebratur, sed Boeotia quoque, in Boeotia vero Teumessus mons. In Teumessum Iuppiter Europam, Phoenicis filiam abduxerat ibique caute occultarat, qua de re copiosus testis est Antimachus libro primo Thebaidis ap. Steph. Byz. s. v. Τευμησσός. Montis nomen ab τευμήσασθαι verbo, quod sit 'fabricare', 'moliri', Antimachus derivavit: οὕνεκά οἱ Κρονίδης, ὅστε μέγα πᾶσιν ἀνάσσει, || ἄντρῳ ἔνι σκήνην (ita Ungerus, Parad. Theb. p. 156, coll. Paus. 2, 31, 8 Ὀρέστου . . . σκηνή. In Rehdigerano est: ἄντρον ἐνὶ σκηνῇ) τευμήσατο, τόφρα κεν εἴη || Φοίνικος κούρη κεκυθμένα, ὄφρα ἑ μή τις || μηδὲ θεῶν ἄλλος γε παρὲξ φράσσαιτό κεν αὐτοῦ. Eodem spectat Etymol. magn. p. 755, 51 τευμήσατο, παρεσκευάσατο, ἐτεχνήσατο· εἴρηται δὲ ὅτι τὸν Τευμησὸν τὸ ὄρος ὑπὸ τοῦ Διὸς κατασκευασθέντα [adde φασίν] εἰς ἀπόκρυψιν τῆς Εὐρώπης· ἀπὸ τούτου κληθῆναι Τευμησὸν, ἀπὸ τοῦ κατεσκευάσθαι. Phoenicis, non Agenoris, filiam Europam dixit Antimachus exemplo Homeri Il. ξ, 321 et Asii ap. Paus. 7, 4, 1. De Europa in Teumesso condita Pausanias quoque testatur. Paus. 9, 19, 1 ἐπὶ ταύτῃ τῇ λεωφόρῳ χωρίον ἐστὶ Τευμησός· Εὐρώπην δὲ ὑπὸ Διὸς κρυφθῆναί φασιν ἐνταῦθα. Antimacheae narrationis Strabo quoque memor est, Str. VIII, 409 init. ὁ Τευμησσός, ὃν ἐκόσμησεν Ἀντίμαχος διὰ πολλῶν ἐπῶν, τὰς μὴ προσούσας ἀρετὰς διαριθμούμενος· ἔστι τις ἠνεμόεις ὀλίγος λόφος· γνώριμα δὲ τὰ ἔπη. In hac Boeotica eius fabulae memoria haud minus, quam in Cretensi, Iuppiter tauri speciem induerat et cum virgine littoris ad Euripum loco nescio quo ad terram adpulerat, cuius furti Ismenus fluvius testis fuerat; nam hic quidem, stragem Thebanorum indignatus, Iovem alloquitur apud Statium Theb. 9, 421 *totiens . . . tuis . . . conscius actis, || nec memorare timor, falsa nunc improba fronte || cornua . . . vidi.* Nec minus Eteocles rex ap. Statium Iovem ut primum Thebarum per illud coniugium auctorem celebrat, Stat. Theb. 11, 211 *Summe deum, tibi namque meae primordia Thebae || . . . debent, Sidonios ex quo per littora raptor || turbasti thiasos, dignatus virgine nostra || terga premi et placidas falsum mugire per undas.*

5. Europae in Boeotia hospitium cum poetae antiquiores affirmant tum heroinae ipsius nomen de septentrionalibus illis Graeciae partibus primum ursurpatum.

Praeter Antimachum alii quoque poetae Graeci Europae fata cecinerant eamque fabulam Boeotiae mythis inseruerant, velut Stesichorus, cuius carmen, epico generi proximum, Εὐρώπεια inscriptum, Scholiasta ad Eurip. Phoen. 670 commemorat rerum in Boeotia gestarum inde memoriam hauriens: ὁ μὲν Στησίχορος ἐν Εὐρωπείᾳ τὴν Ἀθηνᾶν ἐσπαρκέναι τοὺς ὀδόντας φησίν. cf. Stes. fr. ed. Kleine p. 73. In 'Europia' carmine, quod Eumelo nonnulli tribuebant, alii rursus sine auctoris nomine lectitabant, fabularum Boeoticarum copiosius memoria enarrata erat, Paus. 9, 5, 8 ὁ δὲ τὰ ἔπη τὰ ἐς Εὐρώπην ποιήσας φησὶν

Ἀμφίονα χρήσασθαι λύρᾳ πρῶτον Ἑρμου διδάξαντος. Idem carmen sub Eumeli nomine adferre videtur Sch. Il. ζ 131. Videmus igitur, nobiles aliquot poetas in eo concinere, ut Iovis et Europae amorum testem et hospitium Boeotiam fingant. cf. G. Guilelm. Nitzschium ad Odyss. XI, 260. Ioannes Brandisius in Herma 2, 278 non casui tribuendum censet, quod 'Proetides' portae Thebanae in ea muri parte sitae erant, quae in Teumessum vergebat, nam Proetides portas Lunae dicatas fuisse, Europam vero Lunae imaginem esse, quam sententiam ingeniose praeiverat Welckerus, Kretische Kolonie in Theben (Bonnae, 1824) p. 3 et 15. In universum vero minime veri dissimile, Europae a Iove compressae fabulam in Boeotia maxume radices egisse, quoniam certissimis documentis constat, hanc Graeciae partem principem ex universa Graecia 'Europae' nomen sortitam esse. Hoc optime apparet ex hymno Homerico in Ap. Pyth. 71—73 ἐνθάδ' ἀγινήσουσι . . . ἑκατόμβας || ἠμὲν ὅσοι Πελοπόννησον πίειραν ἔχουσιν, || ἠδ' ὅσοι Εὐρώπην τε καὶ ἀμφιρύτας κατὰ νήσους. Cf. Welcker, Griech. Goetterl. I, 471.

6. Rhadamanthi frequens in Boeotia memoria. Num inde colligere liceat, eum in Boeotia heroem indigenam fuisse.

Iam difficillima oritur quaestio, quaenam ex illo Iovis et Europae, in Teumessi antro conditae, coniugio proles prodierit, nam talium parentum filium clarissumum aliquem heroem esse oportebat, ἐπεὶ οὐκ ἀποφώλιοι εὐναὶ || ἀθανάτων (Od. λ, 249). Primum de Rhadamantho cogitari possit, cuius in Boeotia et vicinis regionibus pervolgata memoria est. Iam in Odyssea Alcinous gloriatur, Phaeacum navi et remigio Rhadamanthum in Euboeam ad Tityum visendum advectum esse, Od. η, 322 Εὐβοίης, || τὴν περ τηλοτάτω φάσ' ἔμμεναι, οἵ μιν ἴδοντο || λαῶν ἡμετέρων, ὅτε τε ξανθὸν Ῥαδάμανθυν ἦγον ἐποψόμενον Τιτυὸν γαιήιον υἱόν, de quo loco conf. Strab. IX, 423 extr. Apollodorus 2, 4, 11, 7 Rhadamanthum narrat post mortem Amphitruonis in matrimonium duxisse Alemenam; domicilium vero, quoniam a Minoe fratre patria pulsus esset, Ocaleae in Boeotia cepisse, Apollod. l. s. κατῴκει δὲ ἐν Ὠκαλείᾳ τῆς Βοιωτίας πεφευγώς. Herculem ab Rhadamantho, ut a vitrico, educatum esse Aristoteles tradiderat, Sch. Theocr. 13, 9 Ἀριστοτέλης φησὶν ὑπὸ Ῥαδαμάνθυος παιδευθῆναι τὸν Ἡρακλέα. cf. Welcker, Kleine Schr. 1, 46 et Valentinus Rose, Aristoteles Pseudep. p. 480, qui fragmentum ad Cretensium politiam refert. Ex dramate haud dubie satyrico deprompta sunt (cf. Welckerum l. s.), quae Apollodorus 2, 4, 9, 2 narrat: Herculem puerum ad musicam discendam in Lini, 'Orphei fratris', ludum itasse. Ibi Linum, ut fit, ferula eum coercuisse, tum Herculem ira accensum uno lyrae, tanquam clavae, ictu magistrum occidisse. Quo admisso Herculem in iudicium vocatum esse, sed eum, consilii minime inopem, legem quandam Rhadamanthi iudicibus recitasse: impunem esse oportere, qui adversarium, qui manum prior ipsi intulisset, pro viribus reppulerit; quo audito iudices eum absolvisse, Apollod. l. s. παρανέγνω νόμον Ῥαδαμάνθυος λέγοντος, ὃς ἂν ἀμύνηται τὸν χειρῶν ἀδίκων ἄρξαντα, ἀθῷον εἶναι, καὶ οὕτως ἀπελύθη.

Rhadamanthus igitur in Boeotia non ignotus est, sed frequenti memoria celebratus. Attamen multum abest, ut heros ibi plane patrius et indigena sit; semper peregrina

origo in fabulis de eo volgatis comparet, neque unquam, eum exulem in Boeotiam venisse, e memoria evanuit. Huius rei luculentum documentum est fabula Haliartiorum apud Plutarchum Lys. 28. cf. Welckerum, Kret. Kol. p. 43 extr. Fons erat prope Haliartum, cui Cissusa nomen erat; circa eum arbores styraces Cretenses, quas Rhadamanthus Creta expulsus attulisse dicebatur, Plut. Lys. 28 οἱ δὲ Κρήσιοι στύρακες οὐ πρόσω περιπεφύκασιν, ἃ τεκμήρια τῆς Ῥαδαμάνθυος αὐτόθι κατοικήσεως Ἁλιάρτιοι ποιοῦνται καὶ τάφον αὐτοῦ δεικνύουσιν Ἀλεᾶ (cf. Plut. de Genio Socr. 5 med. et O. Muell. Orch.[2] p. 142) καλοῦντες. Nam Haliarti quoque Rhadamanthum cum Alcmena post Amphitruonis mortem matrimonio coniunctum vixisse, fama erat, et Alcmenae quoque ibi monumentum celebatur; Plut. Lys. 28 ἔστι δὲ καὶ τὸ τῆς Ἀλκμήνης μνημεῖον ἐγγύς· ἐνταῦθα γὰρ, ὥς φασιν, ἐκηδεύθη (de hoc sepulcro plura apud Plut. de Gen. Socr. 5) συνοικήσασα Ῥαδαμάνθυϊ μετὰ τὴν Ἀμφιτρύωνος τελευτήν.

7. Iovis et Europae in Boeotia filium Carneum fuisse e Praxillae fragmento quodam colligi licet. Quid contra moneri possit.

His rebus commoveor, ut Rhadamanthum Iovis ex Europa in Teumesso monte occultata filium in Boeotia habitum esse nequaquam probabile iudicem. Itaque aliud quid circumspiciendum. Atque extat egregium plane, quo haec difficultas tolli possit, subsidium. Nam Praxilla Sicyonia cecinerat, cuius rei duos testes luculentos habemus: Iovis et Europae filium fuisse Carneum, puerum pulcherrimum, Apollini dilectum, quem ipse Apollo et Latona educarint. Pausanias 3, 13, 5, quo loco de Carneorum sacrorum originibus et diversa apud varios populos natura agit, haec de Praxilla habet, Paus. l. s. Πραξίλλῃ μὲν δὴ πεποιημένα ἐστὶν, ὡς Εὐρώπης εἴη ὁ Κάρνειος, καὶ αὐτὸν ἀνεθρέψατο Ἀπόλλων καὶ Λητώ. Similiter Schol. Theocr. 5, 83 Κάρνεα] Πραξίλλα μὲν ἀπὸ Καρνείου φησὶν ὠνομάσθαι τοῦ Διὸς καὶ Εὐρώπης υἱοῦ, ὃς ἦν ἐρώμενος Ἀπόλλωνι. Una est res, quae scrupulum movere possit. Sicyone quoque, in Praxillae patria, Apollo Carneus colebatur. Cum Apolline ibi coniuncta erant haec numina sanitatem et salutem tutantia: Aesculapius, Oneiros, Hypnos. Paus. 2, 10, 2 ἐντεῦθέν ἐστιν ὁδὸς ἐς ἱερὸν Ἀσκληπιοῦ . . . τὸ ἐνδοτέρω δὲ Ἀπόλλωνι ἀνεῖται Καρνείῳ, καὶ ἐς αὐτὸ οὐκ ἔστι πλὴν τοῖς ἱερεῦσιν ἔσοδος. In porticu aedis Apollinis statutum erat ἄγαλμα Ὀνείρου καὶ Ὕπνος κατακοιμίζων λέοντα, Ἐπιδώτης δὲ ἐπίκλησιν. De deis Ἐπιδώταις cf. Paus. 2, 27, 6 et ibi Siebelisium p. 233. Hic Apollinis Carnei cultus haud dubie non Dorius fuit, sed longe, quam Dorica migratio, vetustior. Carnei vero cognomen secundum Sicyoniorum fabulas Apollo a puero illo dilecto, Carneo, Iovis et Europae filio, acceperat. Itaque pronum est suspicari, Praxillam non tam quae apud Boeotos, quam quae apud Sicyonios de Carneo puero tradita essent, enarrasse.

8. Fabulam de Carneo puero Thebanis cum Sicyoniis communem fuisse. Luculentum quoddam Ephori, ut videtur, de Carneis Thebanis testimonium.

Sed haec dubitatio minime eam vim habere potest, ut e Praxillae praestantissimo testimonio nihil iam nobis de Carneo Boeotio, in Teumessi antro nato, suspicari liceat. Nam Sicyoniis et Thebanis antiquissimis temporibus, id quod cum ex aliis rebus compluribus, tum ex Antiopae potissumum fabulis apparet, commercium fuit assiduum et cum in divinis rebus, tum in humanis varium et multiplex. Populi ipsi haud dubie cognati erant. Sicyoniorum vetustissimus quidam rex Europs vocabatur, quod nomen cum 'Europa' concordat; Paus. 2, 5, 6 Αἰγιαλέως δὲ Εὔρωπα γενέσθαι φασίν, Εὔρωπος δὲ Τελχῖνα, Τελχῖνος δὲ Ἆπιν. Accedit, quod prope Teumessum quoque Minerva Telchinia colebatur; Pausanias 9, 19, 1, postquam exposuit de Europa, ab Iove in Teumesso occultata, καὶ Ἀθηνᾶς, inquit, ἐν Τευμησῷ Τελχινίας ἐστὶν ἱερόν. Quare minime credibile est, de illo Iovis et Europae filio aliam apud Sicyonios, aliam apud Thebanos famam propagatam fuisse. Apollo Carneus Sicyonius non diversus est a Teumessio. De Carnei pueri nomine dubitationem movet Hesychii locus, ubi non Carneus, sed Carnus vocatur; Hesych. Καρνεῖος, inquit, ἐπίθετον Ἀπόλλωνος· ἴσως ἀπὸ Κάρνου τοῦ Διὸς καὶ Εὐρώπης. Bergkius igitur, Poet. Lyr. III³, p. 568 apud Praxillam quoque formam Κάρνος pro Κάρνειος restitutam volt, habetque id magnam verisimilitudinem.

Iam si quae supra disputavimus nunc uno conspectu contemplemur, vix, credo, negari poterit, Apollinis Carnei sacra et cultum antiquissimis iam temporibus in Boeotia prope Thebas constituta et fabularum, ut assolet, origines sacrorum explicantium, ornatu decorata fuisse. Quo concesso iam eo quoque progredi licebit, ut Aegidarum gentem ea sacra iam ante illum in Lacedaemonem discessum Thebis in tutela sua et cura habuisse profiteamur. Et extat huius rei testimonium non spernendum, quod initio quaestionis parum validum videri poterat; nunc, postquam fundamentum substruximus, non pro temere ficto, sed pro tali, quod optimae doctrinae specimen contineat, habendum erit. Notum est, Heraclidas, cum Aegidas socios expeditionis in Peloponnesum accire iussi essent, casu magis quam consilio Aegidas invenisse sacris gentis suae epulis operam navantes. Hanc comissationem ipsa illa Apollinis Carnei cum Aegidis ubique coniunctissimi sollemnia fuisse unus e scholiastis verbis apertis indicat, Ephorum, ut videtur, secutus, qui in hac scholiorum particula fons potissimus est; Schol. Pind. Pyth. 5, 106 p. 384 Καρνεῖα ἐν δαιτὶ σεβίζομεν] τοὺς γὰρ Αἰγείδας κατὰ χρησμὸν ἀπὸ Θηβῶν λαβόντες ἀπὸ ἑορτῆς Καρνείου Ἀπόλλωνος δειπνοῦντας ἀπήγαγον.

9. Veterum Achaeorum Carneus, a Doriensium Carneo diversus, qualis Spartae fuerit, qualis in Messenia, qualis Sicyone.

Iam deinceps quaerendum videtur, quae Apollinis Carnei, ab Aegidis in patria urbe Thebis culti, natura, vis, potestas fuerit. Duae omnino sunt Carnei Apollinis species:

altera antiquior et rudior ab veteribus Achaeis culta et propagata; altera recentior et comptior, Doriensium propria. Alterum numen ab altero iam recte Pausanias distinxit, qui in Lacedaemone iam ante Doriensium adventum Carneum, cui Oecetae cognomen fuerit, a veteribus Achaeis cultum esse dicit; eius sacellum in Crii, Theoclis filii, vatis, domo constitutum fuisse. Paus. 3, 13, 3 ὁ δὲ Κάρνειος, ὃν Οἰκέταν ἐπονομάζουσι, τιμὰς εἶχεν ἐν Σπάρτῃ καὶ πρὶν Ἡρακλείδας κατελθεῖν, ἵδρυτο δὲ ἐν οἰκίᾳ Κρίου τοῦ Θεοκλέους, ἀνδρὸς μάντεως, et paullo infra § 4: ὁ δὲ ἐν τοῦ μάντεως Κρίου τιμώμενος Ἀχαιῶν ἔτι ἐχόντων τὴν Σπάρτην. Hic Achaeorum Carneus per Peloponnesum late diffusus est, nec ab eo diversus est, qui in Boeotia ad Teumessum colebatur. In Messenia celebre eius numen est, cum Cereris et Proserpinae religione coniunctum; ibi maxume in luco Carnasio prope Andaniam colebatur. Paus. 4, 33, 4 θεῶν δὲ ἀγάλματα Ἀπόλλωνός ἐστι Καρνείου καὶ Ἑρμῆς φέρων κριόν . . . τὰ δὲ ἐς τὰς Θεὰς τὰς μεγάλας, δρῶσι γὰρ καὶ ταύταις ἐν Καρνασίῳ τὴν τελετήν, ἀπόρρητα ἔστω μοι. In inscriptione clarissima prope Andaniam reperta, qua Cereris mysteriorum, Epaminondae tempore ibi restitutorum, leges et ritus perscripti sunt, saepius Carnei nomen occurrit, velut p. 17, lin. 33 (edit. Sauppii, Gott. 1860) Ἀπόλλωνι Καρνείῳ κάπρον, Ἁγνᾷ ὄϊν.

Sicyone Apollinis Carnei sacerdotium clarissimum fuit. Notum est, apud Eusebium in anagrapha magistratuum Sicyoniorum certum temporis spatium indicari, per quod post regem Zeuxippum Carnei Apollinis sacerdotes summum in republica locum obtinuerint, quorum nomina fastis publicis inserta sint. Sex omnino fuerunt, qui Sicyoniorum rei publicae per annos 33 praefuerunt. Hieronymus ad annum Abrahae 885 (= 1130 a. Chr.) Castoris nomine praefixo ex Eusebio haec tradit, ed. Schoene, vol. II, p. 57. *Exponemus et Sicyoniorum reges ab Aegialo usque ad Zeuxippum, qui omnes regnarunt annos 962, et sacerdotes Carni sex, qui praefuerunt ann. 33. Post quos sacerdos constitutus est Charidemus, qui impensas non sustinens fugit.* Similia sunt, quae ex Eusebio Syncellus tradit (ed. Schoene II, 36) μετὰ δὲ τοὺς βασιλεῖς κατεστάθησαν ἱερεῖς τοῦ Καρνίου ἕξ. οὗτοι δὲ ἱεράτευσαν ἔτη λγ', μεθ' οὓς κατεστάθη ἱερεὺς Χαρίδημος, ὃς οὐχ ὑπομείνας τὴν δαπάνην ἔφυγε. cf. Brandis, de temp. Gr. antiquiss. rat. (Bonnae, 1857) p. 32. Quod nonnulli eruditi contenderunt, Clisthenem tyrannum pro imperio suo illum sacerdotum indicem Sicyoniorum veteri anagraphae inseruisse, mihi verissimum videtur, nam Carnei sacra veterum Achaeorum erant, non Doriensium; Doriensibus vero potissumum Clisthenes adversabatur. cf. paullo aliter statuentem Henricum Gelzerum in Bursiani Iahresbb. 1873. pag. 999 sq.

10. Carneorum sibi sollemnium quomodo Dorienses originem explicarint.

Ab hoc vetere Achaeorum Carneo magnopere differt Carneus, a Doriensibus in Lacedaemonem advectus. Is a Carno vate nominatus est, quem Hippotes, Phylantis filius, cum transitum in Peloponnesum Doriorum exercitus adpararet, ut molestum monitorem, hasta transfixerat. Apollod. 2, 8, 3, 1 ἐφάνη αὐτοῖς μάντις χρησμοὺς λέγων καὶ ἐνθεάζων, ὃν ἐνόμισαν μάγον εἶναι ἐπὶ λύμῃ τοῦ στρατοῦ πρὸς Πελοποννησίων ἀπεσταλμένον. Hippotae ab Hercule genus deducentis propagationis tabulam adfert Apollod. l. s. § 2 τοῦτον βαλὼν

ἀκοντίῳ Ἱππότης τοῦ Φύλαντος τοῦ Ἀντιόχου τοῦ Ἡρακλέους τυχὼν ἀπέκτεινεν. Apollo peste immissa vatem suum ultus est, nec prius irasci desiit, quam Dorienses in memoriam Carni interempti ad caedem impiam expiandam sacra instituerent, Apollini, qui a Carno iam Carneus vocari voluit, placando. Ex oraculo, quo maleficos Apollo increpuit, unus versiculus servatus est apud Eusebium, Praep. Evang. V, 20 ἄγγελον ἡμέτερον κτείνας ἀνεμάξαο ποίνην. Quo alius quoque versus accedit e vaticinio, quo sacra sub Carnei nomine sibi institui iubet Apollo, Euseb. l. s. εὔχεο Καρνείῳ τελέειν σέβας Ἀπόλλωνι. cf. Hendess, Oracula Gr. (Halis Sax. 1877) p. 31; Lob. Agl. p. 852; O. Muell. Dor. I², 58.

11. Carneus veterum Achaeorum deus pecorum tutelaris fuit. Aestivorum calorum tempore Apollo irascitur.

Iam igitur apparet alium fuisse veterum Achaeorum, alium Doriensium Carneum. Hoc magis etiam planum fiet, si amborum nunc Carneorum vim et naturam paullo accuratius comparemus. Atque Achaeorum quidem veterum Carneus deus est pecorum et gregum tutelaris, qui apud Messenios cum Mercurio κριοφόρῳ (Paus. 4, 33, 4) coniungebatur. Nomen ipsum, qualis sit, indicat; Hesych. s. v. κάρνος]... βόσκημα, πρόβατον. Welck., Gr. Götterl. 1, 471. Caprae quoque una comprehenduntur, Hes. s. v. καρανώ] τὴν αἶγα Κρῆτες. Apollo omnino multis Graeciae locis similibus cognominibus celebrabatur, qua in re cognitu dignum Macrobii testimonium. Macr. Sat. 1, 17, 45 *praeterea aedes, ut ovium pastoris, sunt apud Camirenses* Ἐπιμηλίου, *apud Naxios* Ποιμνίου, *itemque deus* Ἀρνοκόμης *colitur, et apud Lesbios* Ναπαῖος.

Iam vero hoc Apollinis, quo pecorum saluti prospicit, officium, ut fit apud Graecos, ab universa Apollinis potestate paullatim segregatum et in separati cuiusdam numinis speciem procusum est, in Carnei pueri imaginem. Ei deinde fabularum antiquarum fictores Iovem et Europam parentes dederunt, Apollini vero in deliciis eum fuisse commenti sunt. Quae res minime exemplis caret; velut Aristaeus modo Apollo ipse est, hoc cognomine insignis, modo filius Apollinis, qua de re locus est luculentus apud Pindarum Pyth. IX, 63 ubi de Horis Aristaei nutricibus dicit: θήσονται δέ νιν ἀθάνατον || Ζῆνα καὶ ἁγνὸν Ἀπόλλων', ἀνδράσι χάρμα φίλοις, ἄγχιστον ὀπάονα μήλων, || Ἀγρέα καὶ Νόμιον, τοῖς δ' Ἀρισταῖον καλεῖν.

Apollinis in pecoribus tuendis cura maxume eis anni temporibus eminet, quibus nimii calores morbos pestiferos gignunt; mensis igitur Carneus, qui Argivis Arneus est (Conon, narrat. 19 μῆνά τε ὠνόμασαν Ἀρνεῖον), in eam anni partem incidit, in qua furit sidus caniculare, quod et hominibus et pecoribus perniciosissimum est, Il. χ, 27 (ἀστήρ), ὅς ῥά τ' ὀπώρης εἶσιν . . . (30) κακὸν δέ τε σῆμα τέτυκται, || καί τε φέρει πολλὸν πυρετὸν δειλοῖσι βροτοῖσιν. Myrson pastor ap. Bion. XVII, 13 ed. Ahrens (Lips. 1875) οὐκ ἐθέλω φθινόπωρον, ἐπεὶ νοσέρ' ὥρια τίκτει. cf. Welck., Kl. Schr. 3, 33. 37. Hoc igitur anni tempore Apollo irascitur et ad eum placandum homines accingi oportet. Quare antiqua quoque illa Achaeorum Carnea ex parte piacularia sunt. Atque variae sane apud varios populos caussae (αἴτια) excogitatae sunt, cur Carneorum tempore Apollo irasceretur. Mirifica simplicitate

illa huius generis fabula est, quae Spartae, opinor, olim narrabatur, quamque eis temporibus ortam esse manifestum est, quibus Dorienses nondum suo Carneorum cultu vetustiores religiones obruerant et obscuraverant. cf. O. Muell. Orch.[2] p. 326 n. 4. Testis est Pausanias 3, 13, 5, qui rem hominum fama, non libro lecto acceperat (λέγεται δὲ καὶ ἄλλος ἐπ' αὐτῷ λόγος). Fama erat, Graecos ad Troiam cum equom Troianum fabricare vellent, e sacro quodam Apollinis luco, in quo magna arborum, quae corni (κράνειαι) vocantur, copia fuerit, ligna petiisse. Apollinem ira accensum iniuriam ulcisci coepisse; quod ubi sensissent, sacra Achaeos ad Apollinem placandum instituisse, quae, una littera transposita, pro Craneis Carnea nuncupata sint; Paus. 3, 13, 5 μαθόντες δὲ ὀργὴν σφισιν ἔχειν τὸν θεὸν, θυσίαις ἱλάσκονται καὶ Ἀπόλλωνα ὀνομάζουσι Κάρνειον ἀπὸ τῶν κρανειῶν, ὑπερθέντες τὸ ῥῶ κατὰ δή τι ἀρχαῖον. Latet fortasse huius narrationis memoria in Alcmanis quodam fragmento, quod sane admodum exiguum est, sed tamen Alcmanem quoque de Carneorum origine ad Carneum quendam puerum revocanda narravisse ostendit; Schol. Theocr. 5, 83. Κάρνεα] . . . Ἀλκμᾶν δὲ ἀπὸ Καρνέου τινος Τρωικοῦ.

12. Apollini Carneo perquam cognatus est Apollo in Argivorum veteribus fabulis propter Lini mortem iratus.

Apud Lacedaemonios igitur non nimis gravis Apollinis ira fingebatur, sed talis, cui mox medicina parata fuerit. Multo atrocior apud alios populos et caussa irae et ipsa ira describebatur. Et Argis quidem, ad canicularis temporis aerumnas et pericula significanda, pulcherrima illa de Lino fabula ficta est, qua simul rituum et sacrificiorum, quibus illo mense homines operam dabant, caussae indicabantur. Res in antiquis carminibus epicis haud dubie (conf. Paus. 1. 43, 7 τὰ ἐς αὐτὸν, sc. τὸν Κόροιβον, ἔπη. vide Welckerum, Kl. Schr. 1, 16) enarrata luculenter exponitur a Conone, narr. 19. Linum Psamathe, Crotopis regis filia, ex Apollinis coniugio gravida, clandestino propter patris metum partu ediderat. Puerulum mater uni e patris pastoribus educandum tradidit; sed filiolus Apollinis casu infelicissimo ab efferatis pastorum canibus discerptus est. Universam fabulam perpulchre Statius enarravit in Thebaide 1, 557—667, qui Lini mortem ita depingit v. 587: *viridi nam cespite terrae || proiectum temere et patulo caelum ore trahentem || dira canum rabies, morsu depasta cruento, || disicit.* Psamatham matrem doloris magnitudo mox prodidit; itaque a patre, crudelissimo iudicio culpae convicta, supplicio affecta est. Conon, l. s. δικάζει αὐτῇ θάνατον, πεπορνεῦσθαι καὶ καταψεύδεσθαι αὐτὴν Ἀπόλλωνος οἰηθείς.

Tum vero in summam iram Apollo exarsit et Poenam, monstrum terribile, ab inferis adscivit, quae Argivos, ut meriti essent, castigaret. Iam igitur Argi senserunt, quid hoc esset, deum immortalem lacessere. Nam Poena per longum tempus per domos Argivas grassata teneros infantes e matrum sinu abripuit et in parentum conspectu diro morsu laceravit, Stat. Theb. 1, 601 *Haec tam dira lues nocturno squalida passu || inlabi thalamis, animasque a stirpe recentes || abripere altricum gremiis, morsuque cruento || devesci et multum patrio pinguescere luctu.* Tandem iuvenis nobilis, Coroebus nomine, patriae nefandam calamitatem indignatus, animo forti et intrepido monstrum adortus est et,

quoniam fortes fortuna adiuvat, stricto mucrone pectus eius perfodit; Stat. 1, 614 *imas animae mucrone corusco || scrutatus latebras tandem sua monstra profundo || reddit habere Iovi.* Paus. 1, 43, 7 et 2, 19, 8. Apollo, quem iuvenis illius suae salutis parum memoris misereret, ignovit Coroebo, sed sacra piacularia institui iussit, quibus Psamathe et Linus placarentur, Conon, narr. 19 χρωμένοις ὑπὲρ ἀπαλλαγῆς Ψαμάθην ἀνεῖλε καὶ Λίνον ἱλάσκεσθαι. Quare quotannis canicularium dierum tempore (cf. Welcker, Kl. Schr. 1, 16) matronae et virgines Linum lugebant. Conon, l. s. οἱ δὲ τά τε ἄλλα ἐτίμησαν αὐτοὺς καὶ γύναια ἅμα κόραις ἔπεμπον θρηνεῖν Λίνον.

13. Sacra ab Argivis instituta ad canicularium dierum morbos avertendos. Argivorum mensis 'Arneus'.

Nec pro hominum tantum salute preces fiebant, sed pecora quoque, ut in tutelam suam reciperet, Apollinem rogabant. Dies festi Ἀρνηΐδες ἡμέραι vocabantur. Canes vero per hoc tempus in summa noxa videbantur, et si qui in foro conspectus esset, ilico necabatur. Conon, l. s. μῆνά τε ὠνόμασαν Ἀρνεῖον, ὅτι ἀρνάσι Λίνος συνετράφη καὶ θυσίαν ἄγουσι καὶ ἑορτὴν ἀρνίδα, κτείνοντες ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ καὶ κυνῶν ὅσους ἂν εὕρωσι. Similia Aelianus περὶ ζῴων 12, 34 ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις, ἃς καλοῦσιν ἀρνηΐδας οἱ αὐτοὶ (sc. Ἀργεῖοι), ἐὰν κύων ἐς τὴν ἀγορὰν παραβάλῃ, ἀναιροῦσιν αὐτόν. Haec canum caedes κυνοφόντις appellabatur, Athenaeus XIII, p. 99 E. cf. C. F. Herm., Gottesd. Alt. § 52, 6; Sauppe, Myst. Inschr. v. And. p. 47. Videmus igitur sacrificiis illis, quae per Peloponnesum mensibus Carneo et Arneo agebantur, luctum quendam et tristitiam admixta fuisse e periculis illa anni tempestate hominibus pecoribusque imminentibus. Placanda erat Apollinis ira. Sed sacrificiis hilasticis peractis laetitia redibat. Carneus sive Carnus puer, Apollini dilectus, Apollinem gregibus pacatum benignumque significat et laetis illarum incrementis gaudentem. Spartae puerum Carneum cultum esse propter fabulam ab Alcmane narratam (Sch. Theocr. 5, 83) etsi non certum, tamen verisimile est. Sicyone vero et Thebis Carnei, Iovis et Europae filii, memoria haud dubie cultu quoque et honoribus divinis celebrata erat.

14. Doriensium Carneus sublimior quaedam et divinior est eius dei species: ἥκομεν οἱ κτείναντες, ἀπότρεπε λοιγόν, Ἄπολλον.

Ab Achaeorum Carneo natura sua et ingenio mirum quantum differt Doriensium Carneus, quem ex septentrionali sinus Corinthiaci littore Dorienses in Peloponnesum attulerunt. Is in Laconia cum vetere Carneo coaluit, sed cum novo numine nova etiam quaedam in rerum divinarum contemplatione inventa et cogitata admixta sunt. Doriensium Carneus non iam est deus pecorum tutelaris, sed altiore et sublimiori, immo divina magis specie praeditus, cui hominum peccatis et culpae mederi maxume curae et cordi est. Huius rei magnum documentum est, quod origo et causa (τὸ αἴτιον) eorum sacrorum

ex Carni, clarissimi vatis Apollinei, caede repetitur, propter quam populum universum expiari et lustrari oportuerit. Dorienses igitur, Apollinem suum Carneum venerantes, eo animi sensu praeditos esse oportet, qui pulchre versu aliquo a Plutarcho (Rei publ. gerendae praecepta 19 cf. O. Muell. Dor. I², 335) servato exprimitur: ἥκομεν οἱ κτείναντες, ἀπότρεπε λοιγὸν, Ἄπολλον. Caedis autem in illa de Carno vate occiso fabula significatio aliquanto latius patet; significat illa omnino noxam et peccata ab hominum natura inseparabilia, quae temporum decursu eum in modum cumulentur et succrescant, ut sollemnibus subinde sacris hilasticis et catharticis opus sit, quibus illa abiciantur et, venia deorum impetrata, nova quaedam vitae publicae et privatae integritas restituatur. Hoc igitur ingenium et propositum est eorum Carneorum, quae Dorii in Laconiam attulerunt. Ac respondent huic earum feriarum naturae ritus quoque et δρώμενα, quae per sacros Carneorum dies Spartae peraguntur. De his rebus praestantissimo Demetrii Scepsii testimonio edocemur, qui Carnea Spartanorum *militaris exercitii simulacrum* vocaverat; Athenaeus IV, p. 141 E. Δημήτριος δὲ ὁ Σκήψιος ἐν τῷ πρώτῳ τοῦ Τρωικοῦ διακόσμου τὴν τῶν Καρνείων φησὶν ἑορτὴν παρὰ Λακεδαιμονίοις μίμημα εἶναι στρατιωτικῆς ἀγωγῆς. Haec qualia fuerint deinde singillatim exponit. In novem areis tentoria novem extructa esse, in singulis tentoriis novenos rursus viros in excubiis fuisse. Noveni cur fuerint facile explicatu esse, cum terni semper unius phratriae (volebat ille ὠβῆς) fuerint. Athen. l. s. τόπους μὲν γὰρ εἶναι ἐννέα τῷ ἀριθμῷ, σκιάδες δὲ οὗτοι καλοῦνται, σκηναῖς ἔχοντες παραπλήσιόν τι καὶ ἐννέα καθ' ἕκαστον ἄνδρες δειπνοῦσι, πάντα τε ἀπὸ προστάγματος κηρύσσεται. ἔχει δὲ ἑκάστη σκιὰς φρατρίας τρεῖς καὶ γίνεται ἡ τῶν Καρνείων ἑορτὴ ἐπὶ ἡμέρας ἐννέα.

15. In Spartanorum Carneorum ritibus vetustioris Achaeorum Carnei et recentioris Doriensium numina pulchre copulata comparere.

Carneorum sacrorum, qualia Spartae per novem dies celebrabantur, si ritus et δρώμενα paullo accuratius inspiciamus, facile nobis constabit, ambos Apollines Carneos, veterem Achaeorum et recentiorem Doriensium, in eis sollemnibus pulcherrimo vinculo coniunctos fuisse; minimeque omnino statuendum est, has duas unius dei species inimicas sibi mutuo et discordes fuisse: immo Carneum vetustiorem, qui Lacedaemone cum aliis locis, tum in Crii sacerdotis aedibus colebatur, fama est, cum Dorienses adventarent, primum eis viam demonstrasse ad urbem Spartam et terram occupandam regnumque stabiliendum. Hoc, sueto in fabulis more, ita factum exprimitur, ut Crii sacerdotis filia ad aquam hauriendam cum urna exierit, in via Doriensium speculatoribus occurrerit, denique aditum eis ad patrem pararit, qui modum et rationem urbis capiendae eos edoceret. Paus. 3, 13, 3 τούτου τοῦ Κρίου γεμιζούσῃ τῇ θυγατρὶ ὕδωρ συντυχόντες κατάσκοποι τῶν Δωριέων αὐτῇ τε ἀφίκοντο ἐς λόγους, καὶ παρὰ τὸν Κρῖον ἐλθόντες διδάσκονται τὴν ἅλωσιν τῆς Σπάρτης. In ludis Carneorum ritus nonnulli sollemnes erant, quibus Doriensium per fretum apud Rhium transitus in Peloponnesum, quem navium inopia per tigna illi in ratium formam colligata perfecerant, simulacro quodam exprimebatur laetaque illa imagine in perpetuam memoriam revocabatur. Lexicographi testes sunt. Bekkeri Anecdota 1,

305 στεμματιαῖον: μίμημα τῶν σχεδίων, αἷς ἔπλευσαν οἱ Ἡρακλεῖδαι τὸν μεταξὺ τῶν Ῥίων τόπον. cf. Siebelisium ad Paus. 3, 20, 9 p. 66. et O. Muell., Dor. 2, 337, n. 2 et 1, 61, n. 3. Inde factum, ut Apollo cognomine Stemmatiae coleretur in ea via, per quam olim agmina nonnulla Doriensium in Laconiam venisse verisimile est (conf. H. Gelzerum, Mus. Rhen. vol. 32, 264). Paus. 3, 20, 9 καὶ Κρανίου τέμενος κατὰ τὴν ὁδὸν ἐπίκλησιν Στεμματίου. Hesychius quoque ratium simulacra, in pompa ludicra, ut videtur, vecta, novit s. v. στεμματιαῖον· δίκηλόν τι ἐν ἑορτῇ πομπέων δαιμόνων (ita pro δαίμονος O. Muellerus, Dor. 2, 337, n. 2). Πομπεῖς δαίμονες, ut recte opinatur Muellerus, Iuppiter Agetor sunt et Apollo Carneus. cf. Sch. Theocr. 5, 83.

Haec omnia in Carneis ad Doriensium Carneum celebrandum spectant. Neque tamen desunt in his ludorum sollemnibus, quae vetustioris quoque Achaeorum Carnei, agrorum, pascuorum, vinearum curam gerentis, naturam manifesto ante oculos ponant. Huc revocandus est ludus cursorum, qui σταφυληδρόμοι vocantur, Bekkeri Anecd. 1, 305 σταφυληδρόμοι: κατὰ τὴν τῶν Καρνείων ἑορτὴν στέμματά τις περιθέμενος τρέχει, ἐπευχόμενός τι τῇ πόλει χρηστόν, ἐπιδιώκουσι δὲ αὐτὸν νέοι, σταφυληδρόμοι καλούμενοι. Unus igitur e iuvenibus precationem eloquebatur, qua bonam reipublicae vindemiam optabat; is deinde citato cursu abibat, eumque alii iuvenes non minus veloci cursu ad eum capiendum sequebantur. Ille si elaberetur, res in malum omen vertebat, quasi irrita illa precatio futura esset; sin caperetur voti de vindemia compos futura videbatur res publica. Bekk. Anecd. l. s. καὶ ἐὰν μὲν καταλάβωσιν αὐτόν, ἀγαθόν τι προσδοκῶσι κατὰ τὰ ἐπιχώρια τῇ πόλει· εἰ δὲ μή, τοὐναντίον. Hunc in modum pulchre locum explicuit Schoemannus, Ant. Gr. II², 438. De duobus Apollinis Carnei Achaeorum cognominibus, Oecetae et Dromaei, cognitu digna est luculenta inscriptio Spartana mulieris nobilis, quae illorum numinum compluriumque aliorum sacerdos fuit, Corp. Inscr. Gr. n. 1446 Δημοσθένειαν . . . ἱερέαν κατὰ γένος Καρνείου Οἰκέτα καὶ Καρνείου Δρομαιέος καὶ Ποσειδῶνος Δωματείτα καὶ Ἡρακλέους γενάρχα καὶ Κόρας . . . μητέρα εὐσεβείας . . . Ἑστείαν πόλεως τὴν σωφρονεστάτην καὶ ἀρίστην.

16. In Doriensium ad Naupactum castris quomodo Aegidarum sacra Carnea suscepta sint. Ad hanc quaestionem via munitur examinandis Aegidarum in Thera insula institutis et fatis.

Spartae igitur Dorici illius Carnei adventu vetustior illa Carnei species non omnino sublata est, sed manserunt eius quoque numinis reliquiae nonnullae, quae cum novicio cultu coaluerunt. Sed quanto haec concordia pulchrior est, tanto magis nunc explicatione eget altera quaedam amborum Carneorum conexio et copulatio, paullo anterius facta, quae ad Carneorum primordia et incrementa recte iudicanda magni sane momenti est. Constat enim, Aegidas, quo tempore Dorienses transitum in Peloponnesum moliebantur, iussu Apollinis Thebis accitos Doriensibus se coniunxisse atque una cum Aegidis Carnea quoque sacra, Aegidis familiaria et domestica, allata esse. Haec sacra secundum ea, quae supra ostendimus, fieri non potest, quin nomen acceperint ab Carneo puero, Iovis et Europae filio. Iam vero non minus certo constat, Dorienses eodem illo tempore, quo in Peloponnesum traicere contendebant, Carnea quaedam nova et propria sibi futura suscepisse,

quae instituta dicebantur ad Apollinem propter nefariam vatis Carni caedem placandam. Quibus perpensis iam haec quaestio oritur, quae inter hos ambos Carneos ratio intercedat, et quomodo fieri potuerit, ut Dorienses, acceptis modo Aegidarum Carneis, nova rursus Carnea, ab illis haud dubie diversa, sibi colenda sumerent. Haec quaestio ea sola ratione solvi poterit, ut paullo nunc copiosius gentis Aegidarum fata et memoriam per ea tempora, quibus clariore iam luce historiae magis magisque eorum res gestae illustrantur, secundum fontes persequamur. Nam, ut fit in antiquarum rerum cognitione, multa sunt in illis copiis, quas posterior aetas paullo liberalius largiusque nobis concessit, e quibus retro de primordiis colligi aliquid et unde coniectura fieri possit, qua tenebras mythicae aetatis discutiamus.

Narrat igitur Herodotus 4, 148, Theram, Autesionis filium, octo aetatibus post Cadmi in Graeciam adventum Theram insulam, cui antea Callistae nomen fuerit, cum colonis occupasse; colonorum agmen partim constitisse ex viris Lacedaemoniis, quos ex omnibus tribubus Theras elegerit, et in quibus Aegidarum quoque, Therae gentilium, magna pars fuerit necesse est, partim e Minyis, inter quos maxume tunc illustris erat Euphemidarum familia, cuius illo coloniae in Theram deducendae tempore princeps fuit Sesamus quidam, qui ab Euphemo Argonauta per Leucophanem avom genus ducebat; Sch. Ap. Rhod. 4, 1750; Sch. Pind. Pyth. 4, 88; O. Muell. Orch.[2] p. 301. Tribus igitur tricenorum remorum navibus in altum evectus est Theras, Her. 4, 148 συγχωρησάντων δὲ τῇ γνώμῃ τῶν Λακεδαιμονίων τρισὶ τριηκοντέροισι . . . ἔπλωσε, οὔτι πάντας ἄγων τοὺς Μινύας, ἀλλ᾽ ὀλίγους τινας; et paullo ante ὁ Θήρας λεὼν ἔχων ἀπὸ τῶν φυλέων ἔστελλε. Et Therae quidem Aegidarum gens mirum in modum effloruit; primum enim per aliquot saecula regiam dignitatem obtinuit, cuius rei clarissumum documentum est, quod Grinus rex, Aesanii filius, qui quo tempore Cyrenae colonia a Batto condita est, Therae regnabat, ab coloniae auctore Thera generis originem repetit; Herod. 4, 150 Γρῖνος ὁ Αἰσανίου, ἐὼν Θήρα . . . ἀπόγονος καὶ βασιλεύων Θήρης τῆς νήσου, ἀπίκετο ἐς Δελφούς. Deinde in magistratibus, qui post regiam dignitatem sublatam instituti sunt, (ephoratum vocabant, CIG. n. 2448 p. 361), haud minus firmam et fixam stationem Aegidae tenuerunt. Praeterea opibus quoque et agrorum possessionibus plurimum valuerunt, quod luculenter ex Epictetae mulieris testamento, quod vocatur, apparet, quae fundos fructuosissimos, in regione Melaenis, a fecunditate, opinor, ita nuncupata, sitos obligavit, e quorum reditibus sacra sollemnia et annui cognatorum coetus et epulae sustentarentur; CIG. n. 2448 col. I lin. 32 ὀφείλεσθαι αὐτὰς (sc. δραχμάς) ἐπὶ τοῖς ὑπάρχουσί μου αὐτοκτήτοις χωρίοις τοῖς ἐμ Μελαιναῖς.

17. Aegidarum in Thera insula laeta propagatio et suboles. Epicteta mulier ex Aegidis oriunda.

Ad hunc omnium rerum in Aegidarum familia florem accedit, quod subolis quoque posterorum laetissima frequentia per Theram et Anapham, vicinam Therae, insulas propagata invenitur. Plurima in inscriptionibus sunt nomina quae certissimis indiciis ad Aegidarum stirpem revocari possunt. cf. Boeckhium in egregia commentatione de inscript.

Theraeis Opusc. VI, potissumum p. 54—59. Celeberrima et vetustissima inscriptio in sepulcro reperta, quae quattuor virorum nomina continet, Inscr. Graec. antiquiss. ed. Roehl p. 121 Ῥηξάνωρ, Ἀρχαγέτας, Προκλῆς, Κλεαγόρας Περαιεύς, quin ad viros ex Aegidarum familia oriundos spectet, dubium esse nequit, nam Archagetae nomen non potest nisi hominis esse, qui e stirpe regia et tali, quae olim coloniae deducendae praefuerit, prognatus sit. Eodem argumento nomen Μάληκος, in sepulcro repertum (apud Roehlium p. 121), et regium est et Aegidis familiare. Boeckh, l. s. p. 41. Praestantissimum vero documentum, unde, quanta in insula Thera Aegidarum fecunditas et posterorum frequentia fuerit, optime cognoscitur, Epictetae testamentum est CIG. n. 2448, saeculo, ut Boeckhio recte visum est (p. 369), altero vel tertio a. Chr. n. confectum. In eo hominum cognationis vinculo inter se et cum Epicteta coniunctorum sodalitas cum eo mandato constituitur, ut certis sollemnibusque quotannis diebus sodales conventu et epulis habitis memoriam quattuor defunctorum recolant, qui post mortem in ordinem heroum abierint: Phoenicis, Epictetae mariti, ipsius Epictetae et duorum filiorum, Cratesilochi et Andragorae; columna IV, lin. 11 ὥστε γίνεσθαι τὰν συναγωγὰν ἐπ' ἁμέρας τρεῖς ἐν τῷ μουσείῳ, ᾧ αὐτὰ (i. e. Ἐπικτήτα) κατεσκεύωκε, ὑπὲρ τοῦ ἀνδρὸς αὐτᾶς Φοίνικος καὶ αὐτᾶς καὶ τῶν υἱῶν Κρατησιλόχου καὶ Ἀνδραγόρου. Epictetam ex Aegidarum gente ortam esse patris Grinni (col. I, l. 4) nomine luculenter confirmatur; est enim Aegidarum proprium; cf. Herod. 4, 150. Phoenicis quoque, Epictetae mariti, nomen Cadmi, parentis Aegidarum, nos admonet. In ipsa inscriptione, ab Epicteta composita, viginti sex virorum, qui ad sodalitium illud convocantur, nomina perscripta sunt, col. III, l. 14. In tribus ibi hominibus 'Proclidae' nomen recurrit, quod 'Proclis' Aegidae in sepulcro supra commemorato nomen in memoriam revocat; constat autem, nomina propria, ab eadem stirpe formata, saepius hunc in modum in eadem familia variari.

18. Aegidae Theraei patriae, Thebarum, institutorum memores. Pindari nomen rarissimum Aegidis Anapham insulam incolentibus usitatum.

His igitur omnibus, quae attulimus, facile intellegitur, Aegidarum gentem Therae maxume nobilitatam et copiis opibusque florentem pollentemque fuisse. Sed licet in hac insula alteram plane patriam Aegidae invenerint, tantum tamen abest, ut veteris patriae Thebarum obliti sint, ut luculenta quaedam cognituque dignissima vestigia cum Therae tum in vicina insula Anapha inveniantur, quae veterum morum et institutorum probe memores eos fuisse indicent. Numerum septenarium, qui Thebis et in Boeotia egregie celebratur, Therae quoque in honore fuisse et praecipuae cuidam rei ordinandae adhibitum esse, constat. Thera insula in septem pagos vel regiones (χώρους) divisa erat. Hoc in universum Herodotus testatur 4, 153, quo loco narrat, ad coloniam illam in Platea insula condendam ex omnibus Theraeorum vicis colonos delectos esse; Herod. l. s. ἀπὸ τῶν χώρων ἁπάντων ἑπτὰ ἐόντων ἄνδρας (sc. πέμπειν), εἶναι δέ σφεων καὶ ἡγεμόνα καὶ βασιλέα Βάττον cf. Boeckh, Op. VI, 47 sq. Eorum pagorum duos nominatim Ptolemaeus affert Geogr. III, 15 § 26 Θήρα νῆσος, ἐν ᾗ πόλεις δύο, Ἐλευσὶν ἢ Ἐλευσίς καὶ Οἴα. Tertius est in Epictetae testamento col. III, l. 6 ἐμ Μελαιναῖς. Quartus invenitur Πειραιεύς in inscriptione

ap. Boeckhium Opusc. VI p. 41; cf. ibid. p. 44 et O. Muell. Orch.[2] p. 221. Accedit pulcherrimum argumentum ex ipsius Pindari nomine. Poetae nostri nomen, ceteroquin rarissimum, in tribus insulae Anaphae inscriptionibus invenitur; eam enim coloni illi Lacedaemonii, qui Theram occupaverant, haud ita multo post ut Therae accessionem quandam ad se vindicarunt. De Aegidarum gente in Anapha quoque insula principe optime dixit Boeckhius CIG. vol. II p. 1092 et 1094. Inscriptiones illae 'Pindaricae' hae sunt; primum duae breviores CIG. n. 2480 ὁ δᾶμος Ἀρχώνδαν τὸν καλούμενον Πίνδαρον et ib. in addendis n. 2480. b (vol. II p. 1094) ὁ δᾶμος Πίνδαρον τὸν Τηλεσιγένους cf. Tycho Mommsen, 'Pindaros' (Kiliae, 1845) p. 19. Tertia longiuscula est CIG. n. 2480. d, p. 1095 Κρεινοτέλην Πινδάρου, θέσει δὲ Φιλοξένου, τὸν φιλόπατριν καὶ εὐεργέτην ἀληθῶς καὶ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ Τειμαρέτην Τελέσωνος καὶ τὰ τέκνα αὐτῶν Τελέσωνα Φιλόξενον Νεικοτέλην Ἐπιτέλειαν Πυθηΐδα . . . In his paenultimum nomen Epiteliae ea de caussa memorabile, quod indicio illud est, hos homines Aegidas fuisse; nam 'Epitelia' nomen quoque est filiae Epictetae mulieris in eius testamento col. I, 5 et II, 5. Epictetam, Grinni filiam, ab Aegidis ortam fuisse, supra ostendimus.

19. Apollinis Carnei cultus gentis Aegidarum quasi palladium est. Carneus Theraeus ab Doriensium Carneo haud diversus.

Pulcherrimum denique monumentum, quo veteris patriae, Thebarum, memoriam Aegidae in Thera insula colebant, Apollinis Carnei sacra hereditaria sunt, quae Therae non iam plane eadem sunt, qualia Thebis fuerant, sed aliquantum immutata pro illa, quam Aegidae cum Doriis inierant, communione. Sed coniunctissimum Therae semper est Aegidarum nomen cum sacris Carneis. Universa insula Apollini sacrata erat, qua de re narraverat Hierocles, Sch. Pind. Pyth. 4, 11 Ἱεροκλῆς δέ φησι τοὺς ἐκ Λακεδαίμονος ἀποκτίσαντας Ἀπόλλωνι αὐτὴν ἀνιερῶσαι. cf. Hist. Gr. Fr. IV, 475 et O. Muell., Orch.[2] p. 216. De sacerdotiis perpetuis et hereditariis, quibus Aegidae Carnei Apollinis cultum administrabant, copiose nos edocet inscriptio cognitu dignissima, qua Theraeorum populus Admetum quendam, Theoclidae filium, honoravit, cuius ea quoque de caussa origines memorabiles sunt, quod in eo Aegidarum stirps coniuncta comparet cum Minyarum sanguine, qui una cum Aegidis in Theram insulam commigraverant, Herod. 4, 148 med.

Inscriptio cum altera gemella in eundem Admetum nuperrime edita est ab Georgio Kaibel, Epigrammata Graeca e lapidibus conlecta p. 70 n. 192 ὁ δᾶμος ἀφηρώιξε καὶ ἐτείμασε τὸν ἱερῆα Ἀπόλλωνος Καρνήου διὰ γένους Ἄδμητον Θεοκλείδα πάσας ἀρετᾶς ἕνεκα καὶ σωφροσύνας. Deinde defunctus oratione versibus composita loquitur. Origines suas e Spartae regibus sibi ducere licere praedicat; quod non tam ad Theram, Autesionis filium, Eurysthenis et Proclis tutorem, spectat, quam ad Aegidarum per complures aetates regnum; nam Aegidas Doriensium reges vetustissimos fuisse nunc iam extra dubitationem positum videtur; cf. Gelzer, Mus. Rhenan. vol. 28 (1873) p. 13. Simul defunctus addit. se a maioribus, qui in Thessalia clari fuerint, descendere; atque Admetus hoc, quo vocabatur, nomen ab illa cum Minyis cognatione accepisse videtur. Sunt igitur haec defuncti verba: οὐ μόνον [η]ὐχούμην Λακεδαίμονος ἐκ βασιλήων, || [ξ]υνὰ δὲ Θετταλίης ἐκ προγόνων γε-

νόμην· || σώζω δ' Ἀδμήτου κατ' ἴσον κλέος, ὡς ὄνομ' ἔ[σ]χ[ον]. || εἰ δὲ δύω λείποντα τριηκοστοῦ ἔτεός με || Θουκλείδα πατρὸς νόσφισε μοῖρ' ὀλοή, || τετλάτω ὡς Πηλεὺς ὡς προπάτωρ τε Φέρης.

Simile plane cum eadem introductione ὁ δᾶμος ἀφηρώιξε κτλ. in eundem Admetum elogium est ap. Kaibelium p. 69 n. 191, in quo rursus Thessaliae et Lacedaemonis memoria coniuncta est: εἴ τι παρ' Αἱμονιεῦσι γένος πολιοῖο Φέρητος, || εἴ τι παρ' Εὐρώται κόμπασαν Οἰβαλίδαι || ἀνδράσιν ἐν προτέροις καθαρώτατον, οἵ βασιλήων || παῖδες καὶ μεγάλων ἦσαν ἀπ' ἀθανάτων· || τοῦτο λαχὼν Ἄδμητος ἴ[σ]ο[ν πι]νυτῆτι [καὶ] αἰδοῖ || μοῖραν ἀνέπλησεν ῥιγεδανοῦ βιότου. Deinde de Admeti parentibus paullo copiosius edocemur titulo hoc, qui Admeti statuae, Apollini Carneo dedicatae, subscriptus erat CIG. II n. 2467 (p. 1087) Θευκλείδας Ἀδμήτου καὶ Νικόλα Κρισάμιος τὸν αὐτῶν υἱὸν Ἄδμητον Ἀπόλλωνι Καρνείῳ. cf Boeckh, Op. VI, 62. Ex his omnibus, quae maximam partem e lapidibus collegimus, manifestum est, in Aegidarum gente sacra Carnea per totam fere antiquitatem hereditaria et domestica fuisse et ab antiquissimis temporibus ad postrema propagata esse. Carneus Apollo, quem Therae Aegidae colebant, qualis fuerit, non traditur, sed cum Theraei Sparta se oriundos glorientur et publica instituta haud dubie plurima e Sparta patria Theram transtulerint, maxume probabile est, Carneum Theraeum haud diversum fuisse ab eo, qui a Doriensibus in Lacedaemonem allatus est.

20. Aegidas veterem suum Carneum Thebanum in castris prope Naupactum in eam speciem transformavisse, quae apud Dorios postea propagata est.

Iam igitur revolvimur ad eandem quaestionem, a qua paullo ante profecti sumus, quomodo Aegidarum vetusta sacra Carnea Thebis allata in illis Doriensium prope Naupactum castris transformata sint in ea sacra Carnea, quae sub idem tempus a Doriensibus in memoriam Carni vatis instituta esse constat. In expedienda hac quaestione non inutile fortasse erit, statim, nulla mora interposita, paucis verbis adumbrasse, quomodo illam mutationem factam cum aliqua probabilitate statuere possimus. Carnus vates, ab Hippota Heraclida interemptus, ipsorum Aegidarum imago et instar est. Carnei enim Apollinis cultus quasi palladium est Aegidarum et res maxume in eis conspicua et notabilis denique talis, quae intimum eius gentis ingenium et naturam uno vocabulo comprehendat. Aegidae posteaquam iussu oraculi Thebis acciti in Doriensium castris apparuerant, cum auctoritate et opibus ipsos Heraclidas superarent eorumque decoribus et commodis officerent, ab Heraclidarum parte aliqua, quae illorum principatum aegre ferret, graviter impugnati et gliscente magis magisque discordia postremo aperta seditione petiti videntur. In his certaminibus sanguis haud dubie profusus est et nonnulli Aegidarum ab adversariis interempti videntur. Sed mox Aegidae (atque Procles rex, sicut pater eius Aristodemus et Sous filius Aegidas esse constat, cf. Gelzerum, Mus. Rh. vol. 28 p. 13) oppresso seditiosorum hominum impetu superiores discesserunt. Itaque rebellionis auctor Hippotes, Phylantis filius, iubente etiam oraculo Delphico, in exilium pulsus est; poena eius haec constituta est, ut per decem annos (melius sane conveniret ὀκταετηρίς) e castris Dorien-

sium relegaretur; Apollod. 2, 8, 3, 3 τοῦ θεοῦ . . . κελεύοντος φυγαδεῦσαι δέκα ἔτη τὸν ἀνελόντα. Reliqui Heraclidae, quibus ferocia et praepropera illa Hippotae consilia displicuissent, Aegidarum potestati se subiecerunt.

Rebus igitur hunc in modum compositis iam Aegidae, homines sapientissimi et maxume pii, Delphici oraculi auxilio praestantissumo adiuti rem gravissimam aggressi sunt: vetera sua Carneorum sacra in novam quandam speciem novis rebus novoque, in quod intraverant, regno magis idoneam transformaverunt. Iam igitur exuit Carneus Apollo veterem illum habitum, quo pecorum curam gerit et gregibus augendis servandisque praeest; ad altius iam munus evehitur, ad hominum greges purgandos et ab omni labe et noxa liberandos. Itaque missum fecerunt puerum Carneum et in eius locum substituerunt Carnum vatem, Apollinis alumnum et interpretem, ipsorum Aegidarum quasi symbolum, nam vaticinandi etiam facultas in Aegidarum familia hereditaria erat; noverat Herodotus Lai regis vaticinia, Her. 5, 43 init. ἐκ τῶν Λαΐου χρησμῶν Ἡράκλειαν . . . κτίζειν. cf. O. Muell., Orch.[2] p. 139 not. 5 (quamquam vide aliter de hac re iudicantem Hermannum Geist, de fabula Oedipodea, Progr. Budingense 1879, pars I, p. 2 sq.). Deinde nova fabula orta est ad novorum illorum Carneorum ortum explicandum: Carno vate nefarie interempto ad hoc facinus ulciscendum pestem Apollo immisit nec prius pacem Apollinis Dorii nacti sunt, quam sacra Carneo Apollini quotannis celebranda instituissent; Schol. Theocr. 5, 83 λοιμὸς ἐπεκράτησε . . . ἔλαβον χρησμὸν ἐξ Ἀπόλλωνος Κάρνειον τιμῆσαι Ἀπόλλωνα. καὶ τοῦτο ποιήσαντες ἐπαύσαντο τοῦ λοιμοῦ, et Sch. Pind. Pyth. 5, 106 p. 384 init. θέλοντες οὖν ἐξιλεώσασθαι τὸν θεὸν ἐποίησαν αὐτῷ ἑορτήν, καλέσαντες αὐτὴν ἀπὸ τοῦ Κάρνου Καρνείαν, ἐξ ἧς καὶ τὸν Ἀπόλλωνα ἐκάλεσαν Καρνεῖον. Universum hunc rerum gestarum cursum et ordinem Theopompus narraverat, quemadmodum testatur Schol. Theocr. 5, 83 ἡ ἱστορία παρὰ Θεοπόμπῳ. cf. H. G. F. ed. Mueller, vol. I p. 307.

21. De Aegidis vetustissimis Doriensium regibus.

Haec, quae in superioribus in universum significavimus magis, quam iusta argumentatione probavimus, nunc accuratius consideranda sunt, ut quibus potissimum fundamentis sententia illa nitatur, explicemus. Magno nostrae sententiae adiumento sunt pulcherrima inventa, quibus aetatis nostrae viri nonnulli eruditissimi Doriensium migrationis historiam illustrarunt. Nam ex quo Curtius Wachsmuth in commentatione egregia de diarchiae regum Spartanorum ortu et natura (Jahrbb. f. Phil. 1868 p. 1) argumentatione sagacissima ostendit, quomodo inveterata volgaris fabulae de geminis Aristodemi filiis, Eurysthene et Procle, fraus et fucus refelli et quibus e fontibus rectior harum rerum cognitio peti possit, multi, qui incohatam ab illo quaestionem continuarent, exorti sunt. Atqui una res est, quam Wachsmuthius iam ita stabilivit et absolvit, ut nullo succrescentium in dies horum studiorum cursu infringi et refelli possit, Eurysthenidas veteres et indigenas in Lacedaemone Achaeorum reges fuisse. Hoc cum aliis argumentis, tum e tenebris in lucem prolato Polyaeni (1, 10) praestantissimo testimonio optime ille ostendit. Wachsmuthi vestigiis insistens Henricus Gelzer in Musei Rhenani vol. 28 p. 13 magna

perspicacitate ostendit, alterum domum regiam, vel tres saltem primos eius domus reges: Aristodemum, Proclem, Soum non, quemadmodum volgo traditum accepimus, Heraclidarum stirpi coniunctos esse, sed ex Aegidarum stirpe oriundos. Hoc ita se habere luculentis documentis demonstrari potest: nam primum Proclis regis, Aristodemi filii, nomen in Aegidarum familia admodum usitatum est; Proclem quendam exhibet inscriptio clarissima et vetustissima Theraea in sepulcro quattuor ex Aegidarum familia virorum iam supra a nobis allata (Boeckh, Opusc. VI, 41) Ῥηξάνωρ, Ἀρχαγέτας Προκλῆς Κλεαγόρας. Forma huius nominis derivata, quae cum prototypa forma promiscue usurpatur, Proclides, in Epictetae, quod vocatur, testamento saepius recurrit CIG. vol. II, n. 2448 col. III lin. 17 Εὐαγόρας Προκλείδα, Προκλείδας Εὐαγόρου, Κρατιδάμας Προκλείδα, . . . Προκλείδας Ἀλκιμέδοντος. Atque haec cum consideres, recordandum, Epictetam et omnes illos, quos in syllogum collegit et convocavit, quemadmodum supra ostendimus, Aegidas fuisse. Deinde praeter Proclis nomen Aristodemi quoque, Aristomachi filii, qui volgo Proclis et Eurysthenis geminorum pater perhibetur, nomen in illo virorum Theraeorum indice cognitu tam digno in monumento Epictetae invenitur iuxta Grinni nomen, quod manifesto Aegidis familiare fuit (Herod. 4, 150 init.): Test. Epict. col. III lin. 15 Ἀντισθένης Ἰσοκλεῦς κατὰ δὲ [ὑ]οθεσίαν Γρίννου, Ἀριστόδαμος Ἰσοκλεῦς. Denique tertius quoque in regum vetustissimorum apud Dorienses anagrapha, Sous, Proclis filius (Put. Lyc. 1. et 2; Plut. Apophthegm. Lac. 'Sous' p. 285 Duebn.) nominis sui socium in inscriptionibus Theraeis habet; extat inscriptio nihil praeter solum nomen Σόω[ν] offerens ap. Boeckhium, Opusc. VI p. 59. cf. Gelzerum l. s. p. 13.

Iam vero de his tribus regibus nunc quidem post ingeniosam Gelzeri argumentationem (Mus. Rhen. vol. 32 p. 259—262) constare opinor, nullum eorum Lacedaemonem vidisse; Doriensium enim migratio facta est diuturno et lento ab littore sinus Corinthiaci per septentrionalem Arcadiam cursu. Hunc progressum pedetemptim et gradatim factum optime illustrat narratio illa de Soi regis in finibus Clitoriorum Arcadiae certaminibus, difficultatibus, denique strategemate, quae omnia Plutarchus tam venuste narravit Lyc. 2 et Apophth. Lac. 'Sous'. Duae igitur sunt res, quae virorum eruditissimorum coniunctis studiis eruta et stabilita videmus: primum veteres e domo Proclidarum reges Aegidas fuisse, eosque solos initio migrationis Doricae Doriensibus regia auctoritate praefuisse; deinde migrationem illam non tam celeriter factam esse, quam Pindarus fingit Pyth. I, 65 ἔσχον δ' Ἀμύκλας ὄλβιοι || Πινδόθεν ὀρνύμενοι, sed lento cautoque progressu. His omnibus reputatis et inter se comparatis iam quaeritur, quid de sacris Carneis ab Aegidis e patria Thebis allatis et de Carneis post Carni vatis caedem institutis iudicandum sit. In fabulis aetatis Doricae migrationis lineamenta iam quaedam sunt verae historiae. Huius rei summa haec est. Carnus vates ab Heraclidis occisus impetum significat in Carni seu Carnei cultores, hoc est in Aegidas factum. Vicerunt Aegidae, sed in veterem Apollinis Carnei religionem novum quasi animi instinctum, Doriensium ingenio congruentem, transfuderunt: Ἥκομεν οἱ κτείναντες, ἀπότρεπε λοιγὸν, Ἄπολλον.

